



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XXVI. Gregorii Papae I. Ad Salonitanos. Canonice Maximum
euocat Romam, vt suorum criminum rationem reddat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

GREGORII PAPÆ I.
EPISTOLA XXVI.
GREGORII PAPÆ I.
AD SALONITANOS.

Canonice Maximum euocat Romam, vt suorum criminum rationem reddat.

*Gregorius dilectissimis filiis, clero, & nobilibus Salonæ
consistentibus.*

PERVENIT ad me quosdam peruersæ mentis homines, vt dilectionis vestræ animos vulnerarent, vobis infinuare conatos, quia ego contra Maximum quodam odio mouear, & non magis quæ canonica, sed ea quæ furoris sunt exequi concupiscam. Sed absit hoc, absit a sacerdotali animo, vt in qualibet causa priuato zelo moueatur. Ego autem & vestræ dilectioni prouidens, & meæ animæ omnipotentis Dei iudicium pertimescens, eiusdem Maximi causam subtiliter exquiri desidero, si nullis criminibus pressus, quæ sacro ordini contradicunt, si non per simoniacam hæresim, id est, præmia quibusdam se eligentibus præbendo, ad sacerdotale pertingere officium conatur. Tunc enim liber pro vobis apud Dominum intercessor erit, si non obligatus de suis ad locum intercessionis venerit. Cuius tamen iam culpa superbiæ in aperto monstratur, quod euocatus vt ad nos venire debeat, diuersis excusationibus renititur, refugit, metuit. Vnde ergo trepidat, si eum de his quibus in clamatus est conscientia non accusat? Ecce enim iam diu dilectio vestra sine pastore est, & sicut vobis omnipotens Deus innotescat, vehementer destitutioni vestræ, & medullitus, ex toto corde compatiatur. Audio enim quæ in grege Domini dilanationes fiunt. Sed cum pastor deest, quis contra lupos inuigilat? Ideoque prædictum Maximum, vt huc ad nos veniat, vrgeo, quatenus si hunc innocentem inuenire possimus, confirmemus. Sin vero ea quæ de eo dicta sunt vera patuerint, non iam tam diu dilectio vestra per interpositionem personæ eius destituta sit. De me enim certum tenete, quia odio, nec priuati studii zelo contra eum moueor: sed quidquid canonicum iustumque fuerit, auctore Deo decerno. Miratus autem valde sum, quia in tanto Salonitanæ ecclesiæ

Grat. 1. q. 7.
c. 2. Ansel.
lib. 6. cap.
76. Poly. 1.
2. cap. 3.

Grat. diff.
93. cap. 2.

ecclesiæ clero vel populo vix duo ex sacris ordinibus inuenti sunt, frater scilicet & coepiscopus noster Paulinus, & dilectissimus filius meus Honoratus archidiaconus eiusdem ecclesiæ, qui communicare Maximo sacerdotium rapienti minime consentirent, & se Christianos esse cognoscerent. Debuiſtis enim, filii carissimi, pensare ordines vestros, & quem sedes apostolica repellebat, repulsum cognoscere, vt prius, si posset, ab illatis criminibus mundaretur; & tunc ei vestra dilectio communicaret, ne particeps obligationis eius existeret. Nos tamen erga caritatem vestram visceribus pieratis adstringimur: & quia quosdam vestrum violenter pressos ad consentiendum ei, & ad communicandum cognouimus; omnipotentem Dominum deprecamur, vt vos ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis absoluat, vobisque & in præſenti vita suæ protectionis gratiam tribuat, & nos de vobis in æterna patria gaudere concedat.

Mense Martio, indictione decimaquarta.

EPISTOLA XXVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD CANDIDVM EPISCOPVM.

De monachis in presbyteros ordinandis.

Gregorius Candido episcopo de Vrbe veteri maiore.

INDICAVIT nobis fraternitas tua se non habere presbyteros, & ex hac causâ necessitatem non modicam sustinere. Et quia in quibusdam monasteriis in sua parochia constitutis quosdam esse monachos perhibet, qui ad hoc apti possint esse officium, & eos se cum nostra auctoritate ad hunc postulat ordinem promoueri; propterea præsentibus vobis licentiam damus epistolis, monachos de monasteriis in tua parochia positos cum consensu abbatis sui tollere, & presbyteros ordinare. Sed illud præ omnibus estote solliciti, vt vitam actusque eorum, qui in hoc sunt officio constituendi, subtiliter debeatis inquirere, & tunc eos, si digni fuerint, ordinare. Si vero aliqua in eis culpa claruerit, quæ hos ad hunc ordinem canonica prohibitione prouehi non permittat, nullius vobis supplicatio aut gratia personæ surrepat, vt talibus debeatis manum imponere;

Concil. Tom. 13.

Q 99